





Rupert Waddington



R. 41.394

84.753

1

ORATIO
HABITA
AD ACADEMIAM
SALMANTICENSEM
IN SOLEMNI STUDIORUM INAUGURATIONE.
A
P. M. F. MARIANO CUEVAS,
CISTERCIENSIS ORDINIS, DOCTORE THEOLOGO,
ET SACRAE, ATQUE FORENSIS
ELOQUENTIAE ACADEMIAE
MODERATORE.

SALMANTICAE:

APUD JOANN. VALLEGERA, TYPOGRAPH. UNIVERSIT.

Ann. Dñi. MDCCXXXV.

ОИТАЯО

АТИБН

МАИМАДАДА

МЕССИИАНИИ

*Vetus Doctrina eadem videtur et
recte faciendi, et bene dicendi magis-
tra: neque disjuncti Doctores, sed
iidem erant vivendi praeceptores atque
dicendi.*

Cic. de Oratore. L. 3.

Si mihi de scientiarum laudibus esset apud eos habenda oratio, qui litterariam gloriam dignitate, opibus, potentia potissimum definiunt; ab imperiorum amplitudine, regiisque fortunis, à splendore, ac magnificencia multorum qui litterarum praesidio beatitatis culmen attigerunt, atque à caeteris clarissimis hujus generis argumentis exordienti, in iisque inherenti, atque versanti, nihil de esse posset ad copiam ubertatemque dicendi.

Sed cum in hac amplissima Aca-

(IV)

demia, vestroque in conspectu, laudatio sit instituenda, ornatissimi Doctores, qui solidam, perfectamque sapientiam virtute praesertim contineri existimatis; summa judicij vestri gravitate, parum hic omnis humana- rum litterarum splendor ad veram, cumulatamque laudem valere possit, nisi incitationem atque alacritatem ad recte vivendum afferat.

Quamobrem, et cuius causa in hunc locum ascenderim, et ad quos verba facturus sim, cogitanti, prorsus ita videtur; nullo in argumento meam commodius orationem posse versari, quam si veram sapientiac

imaginem vestris oculis subjiciam,
regiamque viam ad illam comparan-
dam, nobilissimae juventuti quae ex
omnibus undique populis confluit,
breviter ostendam.

Optarem equidem illam ingenii
vim, verborum copiam, eloquii ve-
nustatem, orationisque majestatem
quæ amplitudine loci, Salmanticae
dicimus, materiae gravitate, super-
bisque audientium auribus digna vi-
deri posset: sed cum tenuitatem meam
intime calleam, à vobis efflagito spec-
tatissimi Doctores, Juvenesque cla-
rissimi, ut humanitatem vestram in
ipso veluti orationis vestibulo abunde

commonstretis, et in sapientiae imaginem quam simplicem quidem, sine involucris, sine tegumento vobis offerimus, mentis aciem per exigui temporis spatium attentius infigatis.

Est igitur sapientia, ut inquit Tullius,* „illa ars vivendi quae maestitiam pellit ex animis: quae exhortescere metu non sinit: qua praeceptrice in tranquillitate vivi potest cupiditatum ardore restincto.”

Hinc felicioribus saeculis solus ille videbatur sapiens, qui ita constitutus animo, tanta moderatione at-

* Lib. I. de Finibus.

(VII)

que constantia quietus, sibique ipse
placatus erat, ut nullis neque conta-
besceret molestiis, neque doloribus
conficeretur, neque in prosperis se-
cundisque rebus ita efferretur laetitia
ut futili oblectamento deliquesceret:
ille inquam, quem nihil moveret
ambitio, nihil humana laus aut plau-
sus extolleret, nihil honores publici,
aut munera amplitudo conturba-
rent.

„Bona sapientis, dicebat Sene-
ca, * solidis et insuperabilibus mu-
nimentis praecincta sunt; non Ba-

* L. de const. sap.

(VIII)

„bylonis illi muros contuleris quos
„Alexander intravit: non Carthaginis
„aut Numantiae maenia una manu
„ex hostibus erépta; non Capitolium
„arcemve Romanam, patent ista hos-
„tili vestigio: illa quae sapientem
„tuentur à flamma, et ab incursu
„sarta tectaque sunt: nullum introi-
„tum praebent; excelsa, inexpugna-
„bilia, Diis aqua.”

Haec igitur est, praestantissimi
auditores, imago quaedam sapientis
non accurate depicta, sed quasi levi
penicillo adumbrata, quam si perfi-
cere velimus, necesse quidem sit, tota
nostra consumatur oratio.

Quid vero nunc, de litterato homine dicam et erudito, qui omne felicis, ac beatae vitae praesidium in una doctrina collocavit?

Nunc illa omnia quae modo diximus, sic artium, et disciplinarum studium cognitionemque consequuntur; ut haec praeclara vitae ratio, ac pene divina quam sapientiam appellamus, à litterarum doctrina separari se jungique non possit?

Utinam, viri clarissimi, res ista se haberet! non enim viros sapientes tantopere desideraremus, sed sapientum plena omnia, recte, ac vere dicere possemus.

Plenae sunt etenim Academiae omnium artium, et disciplinarum altrices, plenae Provinciae, plena oppida, pleni remotissimi loci multorum hominum qui litterarum, atque omnis doctrinae studiis à primis annis, et teneris ut ajunt, unguiculis se dederunt.

Sed quotusquisque eorum est, Deus immortalis, in quibus pulcherrima illa sapientiae forma quam modo effinximus appareat! Videre enim licet alios tanta levitate, et jactatione intumescentes, iis ut fuerit non didicisse consultius: alios insatiabili quadam et vesana divitarum ambitione

conflagrantes ; gloriæ nonulos ita
cupidos, ut huic semper incubuisse,
ab ipsa vero sapientia quam quaerere
et amare se jactitant, capitali veluti
odio discessisse videantur: multos pære-
terea voluptatibus sic obtemperantes,
ut eos verius vitiorum insectatores,
quam scientiarum sodales recensere
debeamus.

Quem horum igitur, sapientem
appellabimus? quem non potius ve-
cordem, et insanum quantumvis op-
timis artibus, et disciplinis instruc-
tum?

Ut enim non illum eloquentem
dixeris, qui oratoriam artem profes-

sus, inquinate, barbare, confuseque loquatur; non musicum eum qui absurde canat, etiam si is musicus haberet velit; non illum praeclarum navis gubernatorem, qui nesciat aut tempestati cedere, aut in tranquillo mari clavum recte, ac sine ullo errore moderari; ita neque sapientes illi dicendi sunt, qui in sapientiae officiis obeundis dilabi et delinquere frequentissime videantur.

Sed si scientia, si doctrina, si artium optimarumque disciplinarum cognitio sapientem per se efficere nequeunt; videamus jam si placet, qua via, vera nostris sit adolescen-

(XIII)

tibus sapientia perdiscenda.

Maximo in errore versantur illi qui res plerumque clarissimas abjectis nominibus appellare consuescunt, dum humilibus atque contemptis illustria vocabula libentiore animo imponunt; unde alias pro aliis falsa specie decepti insectantur, et idem tidem amplectuntur.

Et haec, saltem mea sententia, causa est, cur licet multi studiosos se, et amatores sapientiae profileantur, paucissimos tamen reperiamus hujus nominis dignos, cum in una doctrina sine virtutis adjumento, ejus sedem esse atque domicilium arbitrentur.

Misere enim falluntur: nam vera
 summaque sapientia illa est quae nosse
 prius se ipsum edocet; unde in vete-
 rum Academiarum ac Biblioteca-
 rum fronte, aureis litteris inscriptum
 olim erat notissimum illud *epigraphe*
NOSCE TE IPSUM.

Soiebat namque docta antiquitas
 sapientiae Templum non ingenio, lit-
 teris, aut scientiis patefactum iri; sed
 quibus cum ingenio, cum litteris,
 cum scientiis etiam optimam sui ip-
 sius cognitionem adesse commons-
 trant.
 Et re quidem vera: qui seipsum
 nescit, quomodo alia scire poterit?

(XV)

quomodo officia erga D. O. M., à quo
et conditus, et judicandus, adimple-
re; quomodo Regi, cuius majestas,
ex pulcherrimo Homeri effatu, * à
Jove descendit, obtemperare; quo-
modo patriae in qua natus, nutri-
tus, atque educatus, deservire va-
lebit?

Hinc superiori aevo regioneque
vicina, nec enim casus nostros insan-
dumque dolorem renovare juvat, il-
lorum plurimos qui se de litteris, de
scientiis, de luminibus gloriabantur,
tanta impietate in Religionem, tanta

(XVI)

audacia et furore in Regem, quanta
olim Gigantes contra Coelum, insur-
gere visi sunt.

Hinc conturbata, commota, in-
cendiis, et caedibus deturpata omnia,
sacra prophanis permixta, immani-
tatis atque saevitiae in amicos, in fra-
tres, in parentes, in Ecclesiam, et in
patriam tanta vidimus exempla, ut
philosophiae aetatem cum excisionum
saeculo confundi debere, nonnulli ar-
bitrarentur.

Sed nunquidnam horrenda illa
facinora litteris, scientiis, aut ipsi
sapientiae probro, et dedecori esse
possunt? minime gentium.

(XVII)

Non enim litterae, aut scientiae
hujusmodi scelerum insimulandae;
sed vel misera conditio hominum
qui tanquam teterimae Harpiae in-
ficiunt omnia, vel potius vesania il-
lorum qui cum sapientes sibi ipsis
viderentur, sapientiam capitali odio
prosequuti sunt; eam à publicis scho-
lis ejiciendam, atque explodendam
putarunt, ab ipsisque hominum men-
tibus evellere sunt conati.

Abusi siquidem optimis artibus,
et disciplinis per eas ipsas impium
bellum sapientiae intulerunt, quae
quamdiu ab istis furiis agitatur, suis-
que exulat ejecta sedibus, Respubli-

(XVIII)

ca ipsa suum tenere statum minime potest, sed aeternis fluctibus concitari necessarium mihi videtur.

Nos vero Doctores incliti, optimique Adolescentes, Salmanticensis Academiae in qua purior doctrina, veraque sapientia quovis tempore integra permansit, vestigia persequamur; et quibus perfidi homines in eadem expugnanda impie, et sceleratissime abutuntur, iisdem utamur armis in ipsius defensionem; quaeque in nos illi tela conjiciunt, eadem nos in illos fortiter, et strenue retorqueamus.

Illi eloquentiae vi imperitam mul-

(XIX)

titudinem multoties flectunt, à virtute avocant, et honestate: nos ejusdem subsidio et honestos in officio pietateque conservemus, et improbos ac perditos homines à turpitudine deterreamus.

Illi legum sanctimoniam Regiamque Majestatem labefactant, dum ipsas à voluntate indocti vulgi originem suam ducere pendereque dicunt: nos ab altiori principio, à Deo nempe, qui et totius justitiae, et universae potestatis fons est, et origo, utramque descendere, aeternum praedicemus.

Sacra illi Theologiae dogmata depravant, mores et ritus à majoribus

receptos irrident, Ecclesiae Hierarchiam, ac disciplinam funditus revertunt: catholicae fidei ex animo adhaerentes nos, etiam doctrinas illas quae opinionum nomine subdolè circumferuntur, quaeque in Romana Lance librata non sunt, penitus abjiciamus; majorum instituta libenti animo veneremur; Hierarchiam divinitus stabilitam credamus; discrimenque illud recentiori tempore pessimoque consilio inter exteriorem, et interiorem disciplinam excogitatum, ut absurdum commentum universam Ecclesiae protestatem undique subvertens, detestemur.

(XXI)

Illi denique, ipsam religionem Christianam quasi nihil in ea litteris, et ingenio dignum, nihil elegans, nihil excelsum criminari ausi sunt: nos vero per illam genus humanum ad civilis vitae cultum revocatum, litterariorum imperii fines dilatatos, ipsiusque mysteria, ceremonias, sacros libros uberiora dignitatis, majestatis, sublimitatis exempla ingenio praebere, quam prophana gentium Mithologia confidenter affirmemus.

Illi::: sed jam longiores quam par erat, fuimus.

Cogitemus igitur, in Academia illa nos versari quac per tot saecula

habita est secundissima virorum
omni virtutis, et sublimioris sapientiae
genere praestantium, parens:
memoria repetamus firmissima illa
quae turbulentiori tempestate protulit Throni et Altaris propugnacula;
Eminentiss. Cardinalem D. D. PETRUM QUEVEDO ET QUINTANO; Exmum.
ac Illum. Archiepiscopum D. F.
VEREMUNDUM ARIAS; integerrimum
Magistratum D. JOSEPHUM COLSA ET
SARO, quorum nomina sicuti Patriae,
et Ecclesiae, et Magno Regi FERDINANDO gratissima, ita contra Academiae
obtrectatores, validissimo
praesidio erunt: haec inquam, alia-

(XXIII)

que plurima optimae Matris decora,
animo semper insculpta habeamus,
nec tam praeclara laude, ignavia nos-
tra spoliari patiamur; sed potius
Salmanticae etiam nunc, litterarum
domicilium, Salmanticae verae sa-
pientiae cultores, Salmanticae Regiae
ac Pontificiae Dignitatis strenuos de-
fensores, omnes uno consensu, vel
etiam inviti fateantur.

DIXI.

the building of the walls
 which serve as a protection
 to the town from the
 enemies who would
 attack it.
 The fortifications
 consist of a wall
 made of stone and
 earth, with towers
 at intervals, and
 bastions on the
 corners, so as to
 command every
 point of the
 circumference.
 The fort is
 surrounded by a
 deep ditch, which
 is filled with
 water, and
 is crossed by
 several bridges,
 which are
 always kept
 ready for
 use.
 The fort
 is garrisoned
 by a large
 force of
 soldiers,
 who are
 always
 on the
 alert,
 and
 ready
 to repel
 any
 attack
 that
 may
 be
 made
 upon
 them.
 The fort
 is
 situated
 in a
 very
 strong
 position,
 and
 is
 well
 protected
 by
 nature.
 It is
 a
 very
 important
 place,
 and
 is
 considered
 as
 one
 of
 the
 strongest
 fortresses
 in the
 country.
 It is
 a
 very
 interesting
 place,
 and
 is
 well
 worth
 a
 visit.